



**N**Ohe filius fuit Lamech, qui protoplastum Adamum uidit, & ex eo Dei mirabilia audiuit. Hunc uerò ideo nostro catalogo inseruimus, quia Tuisconis, Germanorum authoris, pater & praeceptor extitit. Natus autem est Nohe anno mundi mille simo quinquagesimo sexto, atque anno centesimo uicesimo sexto post Adæ, & decimoquarto post Seth filij Adæ mortem. Eo autem tempore adhuc Enos Adæ ex Seth nepos, præterea Kenan, Malaleel, Iareth, Methusalem & Lamech uiri sanctissimi inter uiuos agebant, atque nepotes de omnibus rebus, quæ ab Adamo audiuerant, diligenter instruebant. Proculdubio quoque Nohe eorum consilio usus ui-

tam suam sanctissimè peregit, atque etiam suam familiam in Dei timore, spe uenturi feminis, educauit. Nam cum Nohe 84, cum Kenan 179, cum Malaleel 234, cum Jared 366, cum Methusalem 600, & cum patre Lamech 595, annos in terris uixit, ita ut Dei mirabilia opera exactè intelligere, cum Patriarchis Deum celebrare, & etiam homines sanctè instituire potuerit. Erat autem tempus illud Poëtarum aureum seculum, atque non adeo morbis & calamitatibus obnoxium, ut postea cernere licuit. Viuebant enim homines absque animalium & carniū esu, fructibus arborum, stirpibus, & radicibus, eò nimirum seculis saluberrimis, contenti. Loco etiam uini utebantur aqua, quæ antequam terra diluuiū uasta retur, erat omnibus aromaticis nostris speciebus præstantior, & idcirco saluberrima, ita ut homines ad tantum annorum numerum, temperato & conuenienti suæ naturæ uictu utentes, faciliè peruenerint. Hanc etiam ætatem ideo Deus primis illis hominibus largitus erat, ut commodius liberorum procreationi operam dare, terram hominibus replere, atque uarias artes, ipsiusque cæli cursum, & syderum rationes indagare & cognoscere possent.